



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio XLV. Dom. XX. post Pent. Finis impœnitens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



CONCIO XLV.  
DOMINICA XX. POST  
PENTEC.

Rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium  
ejus. Joan. 4.

Finis impœnitens.

(1) 1. Cor.

9.

A.

Omni-  
bus Pau-  
lus.



In omnium horarum, vir omnibus numeris ab-  
latus fuit Paulus Opt. AA. sic ipse de se (1) om-  
nibus omnia factus sum, non more ac ritu ævi ho-  
jus politicis recepto, qui se aliis, seu fas seu nefas

fuerit, prompti accommodant; cum probis probis,  
cum religiosis asceticè, cum castis castè, cum luridis luridè,  
cum libertinis liberè, cum laxis fratribus vivunt dissolutè.

Quomodo Paulus sit omnibus omnia factus, explicabit beatus  
(2) non mentiendo sed compatiendo, non simulantis astu, sed  
commiserantis affectu omnibus omnia factus est Paulus.

(2) S. Aug.  
ep. 9.

quidem non lucrum burfarum, sed animarum quæsit Paulus  
omnibus omnia, ut homines ad Deum adduceret, & animas  
cælo lucraretur. Hunc in finem cum Pharisæis Legisperiti per-  
nam Jerolymæ sustinuit, cum Philosophis vocibus acriter di-  
gladiari visus, cum Poëtis poëticè loqui & versificando certare  
auditus, inter opifices se quoque opificem professus, arte  
scenofactoria duratas manus palam exhibuit. Origenes (3)

(3) Orig.  
l. 4. cont.  
Cels. &  
hom. 17. in  
Num.

duplici eum titulò condecorat, jam cum phrygionem (Cithar-  
sticker/ Sepichwircker) jam pellium sutorem compellans. Græ-  
cos inter erat Græcanicus, Judæos inter Hebræus, Latinos in-  
ter Romanus, omnibus omnia. Flebat cum fientibus, gaudere  
bat cum gaudentibus, & hæc omnia fecit Paulus ex pura cari-  
tate in proximum suum, ut blandis hisce moribus aliorum præ-  
cordia

cordia sine peccato irreperet, & omnium animas ad cœlum promoveret. Sic pariter suo cum proximo cœteri omnes Apostoli agebant *omnibus omnia*. Eandem politiã strenuè tuentur, qui ad remota Indiarum regna, non aurum aut gemmas, sed nobiles animas quæsituri, hunc in diem maria transnavigant & acroceraunia ponti, hi jam pastores agunt avicularum, jam sedulos agricolas, mansuefaciendis barbaris. etiam ad imas hominum fœces propensi; jam fabros obeunt lignarios, jam cæmentarios, sacris ædib; erigendis intenti; jam se fabros etiam ferrarios conflandis instrumentis profitentur. Jam operam suam Indis elocant quã altronomi, quã servi & pedisequi, ut vel hõc mediõ, quã via sit ad cœlos tenenda, luculenter demonstrant; maximè tamen & omnium creberrimè curandis ægris medicos agunt & chirurgos, in id summè providi & intenti, ut per corpus animã curetur, & sempiternã gloriã aptetur. Nullam illi provinciam sapius obeunt quã medicam, quia nulla ex omnibus tanti lucri ferax est quã medica; sic corpus ab interitu servando, unã illorum animas orco eripiunt, & eas in Regionem vivorum, DEI Regiam post fata transportant. At unde hanc universalem politiã Paulus & Apostoli, imò alii omnes Apostolorum æmuli Christicolæ didicerunt? prævit his omnibus exemplõ suõ ipse Christus, qui jam DEI formam exhibuit, jam servi formam induit, jam fabri factus, cum *fabri filius* audiret, jam iterum obsequiosus verna factus, cum esset *subditus illis*; jam inter Doctores adhuc duodennis egit Theologum, jam annos natus triginta scribas inter legisperitum, jam inter corporis ac mentis ægros potentem Medicum. Et quidem artis hujus Medicæ hac ipsa luce præclarum specimen dedit, cum Reguli filium etiam absens sine ullo purgamine verbo duntaxat & voce curaret. Si quis prædicatorios sermones ejus exploret, fatendum erit, eum etiam loquendo, perorando, & concionando *omnibus omnia* factum esse; modò instar agricolæ semina terræ committit; modò ut vitator vites plantat, scindit palmites, truncat stolones, & pampinos distringit; modò ut hortulanus arbores ponit fructiferas, & steriles excindit; modò ut paterfamilias filios educat, colligit rationes, conducit servos, & operarios constituit *omnibus omnia*.

B.  
Paulum  
æmulan-  
tur India-  
rum Apo-  
stoli.

C.  
Hi in plu-  
rimam  
Medicos  
agunt aut  
Chirur-  
gos.

D.  
Omnibus  
omnia ex-  
emplum  
fuit Chr-  
stus.



**E.** *omnia.* Hoc in speculo vident omnes, quibus modis & ipsi ex-  
 xemplò illius puro Dei amore & animarum lucrò accensi, fieri  
 debeant *omnibus omnia.* Hodie, ut patet, Medici partes ex-  
 quitur, qui prodigiò nunquam auditò integram salutem ægro nuntiat,  
 & simul ægrum curat; vix enim felix nuntium ore sacro emittit,  
*filius tuus vivit*, illò ipsò temporis momentò sanus è lecto  
 surrexit æger, & Medico suo gratus cliens obviam cucurrit,  
 quod licet signatè non memoret Scriptura, de eo tamen nullatenus  
 dubitari potest. Nobilis sanè Medicus, qualem nunquam nobis  
 habuit aut suspexit, à quo semper habent, quod abundè in  
 mulum discant Medici tam sacri quam profani.

**F.** Medicum omni ex parte perfectum duo maxime prædicata  
 constituunt, *perfecta scientia & flagrans charitas* omnibus æ-  
 gris promptè succurrendi. Vi scientiæ medicæ nosse debet omnes  
 hominum indoles, genios, & naturas, pariter omnes morbos &  
 morborum semina; unà variis remediis semper sit ex tempore in-  
 structus, quibus malo serpenti properè sciat mederi. Naturis ho-  
 minum ritè penetrandis, & corporis humani membris probè inspi-  
 ciendis ac dignoscendis jam pridem Herophilus, prout in tem-  
 nis loquitur (4) Tertullianus, *Medicus, an Lanio, exsecuit sexcentos*  
 (4) Tertul- *tos, ut naturam scrutaretur.* Ipse autem Herophilus de lepro-  
 l. de Anim. *tos, ut naturam scrutaretur.* Ipse autem Herophilus de lepro-  
 rum cadaverum à se uno dissecta esse. Si tanta est difficultas cor-  
 poris dignoscendi & partium ejus, quantò major erit difficultas  
 singulos morbos ritè dignoscendi, qui singulis membris propriis  
 vel maxime toti corpori sunt molesti. Sunt, qui dicant, unum  
 oculum ducentis morbis infestari & ultrà, quæ omnia prohi-  
 nis Medicus vivaci memoriâ comprehendat. Morborum causâ  
 naturâ, effectibus, & agrotantium genio ritè perspectis, etiam  
 Medico summè necessaria est varii generis remediorum accurata  
 notitia, nempe herbarum & plantarum omnium cognitio, metallo-  
 rum omnium & mineralium, aquarum omnium & vinorum,  
 gemmarum, lapidum, & animalium unà cum virtutibus suis & ef-  
 ctis; nam in tota rerum natura vix aliquid datur utut vile acti-  
 viale, quod non in usum veniat aut venire possit nobilis medicina  
 jam aliis sociatum, jam aliis permixtum, ut vel ideò dixerit Hip-  
 pocrates, *ars longa, vita brevis est Medicina, vita multò ante fi-*  
 nienda.

nienda, quàm mediam tantum Medicinæ partem apprehendas, utur studiosè hanc unam in scientiam incumbas.

At ponamus dari Medicum, qui prædicatis hætenus recensitis summo in gradu excellat & scientiam foveat numeris omnibus absolutam, si tamen *experientia* desit Medico, vim naturarum & remedium frustra callebit. Ultimum complementum Scientiæ Medicæ est actualis *experientia*, & numerosa praxis Plinio (5) teste, *usus Medicina efficacissimus est magister*, & Ambrosio (6) Authore, *prima omnium & valida scētā est Medicina, quam experientia firmat, non conjectura*. Illi omnium probatissimi erunt Medici, qui non ausu temerario sua promunt & tentant medicamina, sed qui ea multiplici experientiā docti, ægris applicant. Dicuntur Medici graduati, seu veri nominis *Doctores Medici, Nobiles & Excellentissimi Domini, Jhr Excellenz* (qui titulus omnibus aliis aliarum Facultatum graduatis Doctoribus solis, unâ cum annulo Doctorali competit, non item Licentiatis) prout in privilegiis Academicis apud Midendorp. (7) & Menzelium, ac passim alibi legi potest. Fulonius (8) Leodiensis Belga, Author uridique Classicus, vult titulò illò *Excellentia Jhr Excellenz*, illos tantum Medicos decorari, qui juvenes sunt, & nullum adhuc cæmeterium oppleverunt, seu quibus adhuc deest *Magister Usus*, aut qui nullam adhuc praxin & experientiam contraxerunt, qualis erat Diavulus apud (9) Martialem, de quo sequentia canit Poëta:

*Nuper erat Medicus, nunc est vestillo Diavulus,  
Quod Vestillo facit, fecerat & Medicus.*

Qui verò sua in arte Medica perfecti sunt, & benè practicati Medici, illos dici vult Fulonius *Experientissimos Dominos, Jhr Experienz*, non item, *Jhr Excellenz*, hæc enim exacta Medicorum scientia unicè per praxin & experientiam conservatur & augmentatur; hic primùm ritè addiscitur, quod in medendo summum est, cœlo, tempori, regioni, ætati, viribus & morbis se inter præstantibus remedia attemperare, ne pars sincera lædatur. Tempora mutantur, & homo pariter cum tempore deficit; quod ergò uni tempori pridem dilapso præsens fuit medicamen, alio tempore eidem morbo applicitum nil efficiet, vel potius morbum intendet. His omnibus malis experientia occurret.

As

G.

In Medico nulla est scientia sine experientia. (5) Plin. l. 23. (6) S. Ambros. præf. ad Pl. 37.

(7) Midendorp. de privileg. Acad. (8) Fulon. in 2. Mach. 5. (9) Mart. l. 1.

At verò nec scientia, nec experientia Medicum faciunt perfectum. Ad verificandam *Medici perfecti* denominationem plus ultra requiritur, quid illud? prompta & indefessa charitas, qui instigante scientiam suam & experientiam ægris properè Medicus communicet, etiam ubi nulla spes lucri affulget. Hæc charitas dicitur, ut suos patientes sine respectu omnes, sollicito affectu, longanimi patientia, & sua vi semper affabilitate etiam insipidos, discolos, immorigeros pie in Domino amplectatur, eos ad omnem patientiam extimulet, imò etiam ad animos ægro firmos, & nauseam procul à medicamine removendam, acerbis positiones ipse vegetus ac valens Doctor in ægri sanitatem præbet. Hæc charitas dicitur, ut spe quæstus sepositâ, se quoque curandis pauperibus liberaliter impendat, & nullum ope sua destititæ vocatus aut rogatus, ut & horum animæ corporibus suis ulterius conclusæ plus in horas mereri valeant patiando in suam & Medicorum suorum salutem.

II.  
Christus  
solus ut  
Medicus  
habuit  
scientiam  
practicam  
& chari-  
tatem.  
(10) Pfal.  
38.  
(11) Heb.  
4.

At ubi locorum talem Medicum inveniemus, qui scientiâ instructus sit perfectâ, qui praxin habeat absolutam, & insuper prompta charitate omnes ægros sine discrimine foveat, excuret, erigat, soletur & medicetur? in terris certè actum est deolo; nisi cœlos ascendamus, nullis his prædicatis perfectum reperiemus. Christus Dominus Deus & Salvator noster pridem hinc ad cœlos regressus, solus talis Medicus est, qui non tantum novit extima, oculis objecta, sed & imas viscerum fibras, omnes pectoris angulos habet exploratos, de quo pridem cecinit (10) psalmista: *sicut tenebra ejus, ita & lumen ejus*, de quo pridem mentio nit (11) Paulus: *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*. Ut adeo nullis ipsi opus sit dissectionibus vel anatomis ad explorandas morbi radices, ad perspicendas cogitationum & humanarum intentionum multiplices fibras. Pro abstergendis hisce malis & tollendis omnibus morbis medicamina præscribit omnium efficacissima, si modò per ægros ritè applicentur: jam utitur simplicibus medicamentis, aliquando etiam *compositis*, subinde *contrariis* etiam per *contraria* medicatur, ut per lutum cœci oculis imunctum: subinde in ictu oculi curat ægros, subinde pedetentim & tardiori effectû. Alios voce sanat unica; aliis curandis nec numerosæ conciones proficiunt; calidas febres novit etiam austro

Austria

Austria vino extinguere, impetuosa carnis incendia etiam frigidis poenarum metu profligat; non raro calorem novis caloribus recundit, lascivum per divinum vel orcinum. Charitas ejus, qua omnes aegros amplectitur, tanta est, ut major nec fingi possit, nec somnari. Non expectat ille, donec ad aegrum vocetur; ultrò quaerit aegrotantes, *sanans omnem languorem, omnem infirmitatem in populo*, Matthæo (12) teste. Ut Chry-<sup>(12) Matt.</sup> sost. (13) perhibet; *ideo corporis etiam agritudines medicatur, ut simul animis medentur*; imò, quod amplius est, contentus non est, aegros quaesivisse, *etiam ad vulnera nostra descendit* juxta D. P. (14) Ambrosium, *ut usu quodam & copia sua natura participes nos faciat esse regni celestis*. Sic illum graviter faucium & semianimem viatorem ipse transiens purgavit & obligavit, erexit & refecit. Tandem, quod de nullo legis Medico, nec carni parit suæ nec languini, ut inde pro aegris conficiat panaceam & nobilem theriacam, qua omnes morbi dissipentur, qua omnes dolores & corporis cruciatus sopiantur. Quærat nonnemo, quid sinu suo ac sensu recondat *Eucharistia*? literas misce, mox undecim literæ conclamabunt, *Vis theriaca*, unde ad oculum vis ac virtus cœlicæ hujus & angelicæ Medicinæ per absolutum anagramma elucescat, prout fultus hoc ipsum anagramma in Anagrammatica Tuba mea Dte Jovis Sancto per totam Festi memorati concionem eviscero. Et hæc omnia quidem Divinissimus iste Medicus aegris suis sine temporaneo quæstu, sine opum lucro gratis communicat, imò illos etiam, qui se ab ipso gratis curari permittunt, largiter præmiatur ex innata eharitate, prout de ipso splendide perorat Aug. (15) his verbis: *Deus misit Medicum, misit Salvatorem, misit eum, qui gratis sanaret; parum est, qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad hanc benevolentiam potest; quis enim est, qui dicat, sine, sanem te, & dabo tibi mercedem?* tuam ego patientiam coronabo, quam mihi in tortura, in sectione, in adustione constanter in salutem tuam exhibuisti. Si cum Anglicano Poëta Ovveno (16) <sup>(16) Ovven. L. Epig.</sup> loqui velimus, triplici facie constant Medici: *Divinâ* vel *Angelicâ*, cum vocantur, & aegri morbum explorant, *humanâ*, cum efficacem medicinam aegro porrigunt, unde in horas salus re-  
K k k vivi

viviscat, & tandem *diabolicâ*, cùm laboris exantlati justam petunt mercedem. Sic canit Poëta :

*Intrantis Medici facies tres esse videntur  
Ægrotanti, hominis, dæmonis, atque Dei.  
Quamprimum accessit Medicus, dixitq; salutem,  
En Deus, aut Custos Angelus, æger ait.  
Cùm morbum medicina fuga verit, Ecce homo, clamat;  
Cùm poscit Medicus præmia, vade Satban!*

Per hæc Ovvenus bellè ostendit, quantis gradibus honor & amor in auxiliares Medicos inter homines deficiat. In prima vice ægrum Medicus salutat, tanquam cælo lapsus. Cui ab ægro & amicis ejus recipitur, & vix non basiat, colitur, adoratur. Spondentur ei mox aurei montes, præmia laborum decumana, modò nulli parcat industriæ, morbum simul ac mortem fortiter profliget, & felicibus medicamentis triumphos passus singulos ægrotantis salutis factos philippeò, imò etiam aureò coronandos. Largis hisce promissis maturare cogit sanitatem, quam tamen sua in potestate positam non habet. Abhiater; si verò ægrum post aliquot soles fato subtrahat, aut pristino reddat vigori, jam Medici cultus cespitat, jam largæ promissa marcescunt; quem antè pro juvene DEO colebant, jam vix tanquam peritus artis suæ Galenus respicitur; fortuna, non industriæ salus adscribitur; jubeantur tandem sanitati pristina restituti suis stare promissis, aurea gratitudine solentem Medicum remunerari, curas & labores, studia & cum festu dictata medicamina præmiari, verbò tot itus ac reditus, prout scheda loquitur, exsolvere Medico jubeantur? eum in largæ remunerationis vicem mox diris obrui audias; hic totum id, quod schedam premit, tanquam excedens & excessum excluditur; hic laboriosus, sedulus, & industrius Machaon, hic cum pharmacopæo duplicis cretæ redarguitur; hic Medicus simul & pharmacopola sathanizatur; hic uterque funditus expellatur & anathematizatur.



Ah! Opt. AA. si & nos cum coelesti nostro Medico, Deo ac Domino nostro, corporum & animorum divinissimo Archiatro, tam crudè, tam hilpidè, tam sordidè ac sceleratè procedimus, timendum certè fuerit, ne potentissima illius medicina nobis fatum pro vita maturet, & diram mortem acceleret. Si cultus illi uni deferendus tantoperè etiam apud nos deficiat, iterum jure timendum fuerit, ne nobis æternum væ accrescat, & dolor inexplicabilis vitæ perperam conclusæ succedat, nullò unquam remediò mitigandus. Expertus est hoc ipsum ille capitulus & Medico suo impiè rebellis ægrotus, qui hunc amicissimum Archiatrum tam parum respexit, licet eum alteris vicibus reviseret, & ad pœnitentiam paternis monitis invitaret. Joan. Euseb. Nirnbergius Nobilis Hispanus (17) Soc. Jesu Vitam S. Borgiæ paucis abhinc annis Divorum Cœlitum albo solemniter inserti Principis fusiùs descripsit. In hac descriptione producit virum nobilemque Hispanum, qui hunc coelestem medicum modicè respexisse legitur. Quò nobilior erat æris & antiquario stemmate, tantò ignobilior erat moribus & virtute. Sordebat grandibus flagitiis, quorum causâ ubique locorum à summis & ab imis digitò signabatur; en hic est ille jejunos & importunos euclio, ille immanis & sui unius æstimator thrafo, ille luxurians leno, ille civium ac rusticorum crudus flagellio &c. erat quidem opibus ac fortunis prædives, sed quem noctes atque dies fervens amor urfit habendi. Poterant de hoc, ut olim de Petro telonario, pauperes pacisci, quis ab eo vel unum esset obolum expressurus. Nummum si mendico dedit, eum duntaxat pauperi projecit, ut vexam redimeret, prout olim Petrus nassam panis in mendicabuli tergum fulminavit; ex pura charitate nulli certè stipem obrulit; hic centies tritum illud intonuit: ipse sum egentior Irò, ipse nescio, quid serus vehat vesper &c. te Deus adjuvet! vel sapius: hinc procul faceffe stipes, stolprio, aut &c. licet cistæ interrim sub auri argentiq̃ue grandi pondere fatiscerent. Sic sic insatiabiles avari misellos excipiunt, & vacuos à se iterum dimittunt.

*Semper avarus eget, congesto pauper in auro.*

Kkk 2

Citiùs

(17) Euseb.  
Nirnberg. in  
Vit. S.  
Borg.  
I.  
Medici  
Divini  
prodigiosa  
charitas  
obstinato  
peccatori  
exhibita  
incautum.  
Hist.

Citius à pumice aquam hauseris, quam ab insaturabili Mithra nummum. Pactam mercedem suam servi exigunt & ancillæ; fabri & opifices? jam multiplex nodus in scirpo quaritur, unde modicum salarium mutiletur; jam verna dicitur hæc & illa fregisse, destruxisse, vel etiam piceis manibus sublegisse, quæ sæpius immorigeri & efrontes liberi perdiderunt, aut ipsæ ædium mater distraxit; hic coræ sæpius rationes formantur, quibus sua iustissima mercede miser operarius fraudetur. Sanguinis pretium est, quod mercedi subtrahitur; extorta est, & plus quam furto sublata pecunia est, quæ mercenariis venis decimatur, unde in cælum clamans peccatum proficit. Sunt, qui expungi urgeant debita? Nemo illorum domi esse perhibetur, etsi ædium dominus per fenestræ clatros proiciat in subjacentem plateam. Urgeatur vel modicum quid ex currentibus debitis solvi seriò? tutores & factores, laniones & pistores, hospites & praxatores antè solidum par calceorum currendo deterent, quam nummum ab avaro recipiant. Et quis hoc hominum genus, maximè si Grandes fuerint, quibus hic erat Hispanus, debiti coarguet? mediam hic aliud non suspexit, quam id unum, quod à longanimi patientia hauritur. Jus ut plurimum vim patitur, & violenti rapiunt illud, *per Aristoteles cogitur ire pedes*, & aliam quercum excutere. Obeat talis avarus debitis erycium in morem hirsutus? quibus pro quo debitum allegantibus per amicos refunditur, cæca hæreditario jure dividuntur. Hæc tamen omnia hic loci modicum pravitatis apicem visa sunt attigisse. Hoc in Nobili vitium erat palmare, opes tanta cum tenacitate detentas, pravis artibus ac mediis corrasas esse. Fas fuerit, an nebis, perinde fuit, modò lucrum inde accresceret; sic utique grandes thesauros coacervavit; ita tamen, ut ei longe consultius fuisset, si mendicabuli partes explevisset. Adhuc aliò etiam morbo laborabat Hispanus iste, quem passim dicunt *morbum gallicum*; damam ille adulteris amoribus deperebat; hanc unam in lupam largus erat & munificus, in alios omnes parcus & contractus. Visus subinde fuit etiam animos sacra exhomologesi expiare, sed more politico, pharisaico, pro forma ad fucum simplicioribus faciente;

dum ; neque tamen opes pessimè corrasas suos ad legitimos possessores devolvit, hoc ipso juxta S. P. Aug. pœnitentia fuit ficta & simulata ; quoties enim malè parta restitui possunt & non restituantur, *pœnitentia* (18) *non agitur, sed simulatur*. Non deerant, qui hunc Nobilem ritè commonerent, minas etiam minis addensarent, sed saxo loquebantur. Unus DEUS, cujus manu omnium præcordia versantur, poterat animos flecti, ferreos emollire, poterat durum pectus expugnare, at reliquit eum in sua libertate arbitrii ; multis annis hispida tulit pravitatem, cum verò nulla morum emendatio sequeretur, eum tandem gravi & letali ægitudine lecto affixit, ut sibi redditus saniora consilia æger captaret. Debebat utique Nobilis iste morbum tam gravem tanquam mortis lecuturæ prodromum excipere, ac se ad mortem componere vitæ melioris parentem ; atqui valens ac vegetus omnes à se monitores rejecit, etiam quæ æger, nihil de restitutione, nihil de anima per Confessionem expianda audire voluit. Vidit quidem, se pravo in statu versari, vidit ad DEUM esse per pœnitentiam redeundum, at necdum omnes soles credidit occidisse, annos adhuc plures vitæ prorogandæ orituros persuasus : opes abdicare constituit, sed cum ipsi ultra nulli esse usui possent ; factò testamento, cuique suum seriò transcribendum ; ætas si defecerit, etiam nativus carnis impetuosa calor ultra remittet ; inde quidquid mali actum, nna generalis confessio totum expediet. Crevit in horas morbus, ipse tamen stolidi spe pristinam sanitatem prentabat ; quidquid ergo de pœnitentia occineretur, id unum semper reposuit æger, necdum tempus est ; si videro periculum, reculis prospiciam ; nunc rationes tam disparatæ colligi non possunt : proximè sanus si surrexero, seriò singula prehendam &c. ita licet summo in periculo versaretur, maxima tamen obstinatione suis in flagitiis perduravit. Venit tunc fortè illam in urbem Borgias Gandiæ Dux, postea tertius Soc. JESU Generalis, qui cognitò miseri Nobilis periculò, justò zelò animam orco subtrahendè accensus, ante CHRISTUM Cruci affixum in genua procidit,

Khk 3 orans,

18) S. Aug.  
ep. ad Ma-  
ced.

orans, obsecrans, ut qui orbem universum sanguine suo ab interitu servasset, huic etiam pertinaci animæ gratiam suam largiretur. Hæc precanti è Cruce inquit D E U S : ubi Franciscæ, & hunc ægrum invise, eumque totis viribus hortare, ut animos expiet, mox etiam ego, sicut olim formam lervi, nunc formam medici assumam, & ægro assistam. Lætus hõc nuntiõ Franciscus properè ad ægrum accurrit; at cum lecti spondam attigisset, plenus admiratione, jam coram videt Medici formâ vestitum Salvatorem amicè cum ægro lermocinantem, eique larga obsequia deferentem; hæc inter propria manu jam cervical, jam lecti stragulam aptabat D E U S, stupente Borgia, paternè semper ad pœnitentiam nobilem hortatus; at sicut nec ab hoc cœlesti Medico ad officium pœnitentis se passus est induci, ita multò minùs hæc intonanti Borgiæ aures præbuit ægrus. Re itaque infecta, ex oculis vanuit Medicus, & cum parem operam perderet Franciscus, etiam hic domum revertit, ubi omnium Collegarum precibus emolliendum Nobilem commisit, ipse verò confectis properè negotiis DEO suo in Crucem acto iterum supplex factus, per Sacra illius Vulnera denuò cepit præsentem è trabe pendulum obsecrari, misero velit potenti virtute sua succurrere. Resolvit denuò è Cruce sua prodigiosam vocem Servator, atque ab ergò altera vice ad pertinacem ægrotum, meque è Cruce pendulum tecum defer, si fortè me conspecto convertatur & vivat. Sic Borgia ad ægrum reversus, omnes arbitros removit, ut liberiùs cum ægro agere posset; inde verbis ad omnem motum compositis, CHRISTUM Crucis affixum ægro exhibuit, per Passionem ejus & acerrimos dolores, per sacerrimas vulnerati JESU plagas, orans obsecrans, animæ suæ misereatur, & utramque pœnæ ac gloriæ æternitatem serîa mente perpendat: nolle Deum mortem peccatoris, omnibus flagitiis majorem esse misericordiam ejus & alia &c. at visus est ad omnia miser Nobilis absurdescere. Addidit & vocem suam ex cruce pendulus ipse JESUS, quâ ei gratiam & gloriam obtulit Servator, si modo

si modò respiscat. Fecit hic JESUS etiam sanguinem suum vocalem, quem ex omnibus plagis ubertim visus est profundere; per hunc iterum iterumque Franciscus instabat; sed surdo fabulam. Frustra vocem in ægrum alteris vicibus Christus ipse devolvit, frustra Franciscus; cum ergò conclamata esset salus, Salvator ipse revulsa è Cruce manu sua, sacerrimum cruorem ex latere haustum in faciem projecit obduratissimi peccatoris, & funus fecit obstinatum Nobilem, mox enim animam tradidit in manus non divinas, sed in acheronticos ungues & stygios harpagones.

Hinc exemplum capebant omnes peccatores avari & luxuriosi. Videant hic loci, quem vitæ exitum fortiantur, qui pœnitentiam in dies & annos procrastinant. Hic utraque manu Divinissimi Medici immensa charitas palpetur, quâ sursum in gloriam trahere satagat peccatorem, ut salute fruatur sempiterna. Quid potuit ultrà facere Vineæ huic & non fecit? interim tulit labruscas, & ipsius Dei operam pœnitentissimè exposcit. Hic unà notetur, quàm pius in omnes ac misericors DEUS sit, quàm unà justus vindex sit, si provocetur. Nos ex animo diligimus tam pium ac misericordem DEUM, unà ex animo justum ac scelerum ultorem DEUM extimescimus, humiliamus nos totos sub potenti manu Medici hujus, & quidquid nobis medicaminum præscripserit, promptò animò prenlamus; curamus simul, ut nostro amor semper respondeat Divino, quantum vires nostræ patiuntur. Grates inter millenas pro morte nostrò omnium bono exhausta, pro Eucharistica Theriaca, nobis relicta, corpus ei & animam transcribimus, uno ore cum August. clamantes: *hic ure, hic seca, modò in æternum parcas*; unò animò cum Theresia vociferantes; nolim vivere sine hac cruce, nisi dederis majorem; totis præcordiorum viribus eum Xaverio cantantes:

*I. O Deus,*

I.

*O Deus, haut ideò Sacris cor amoribus ardet,  
Illa quod empyrei præmia speret Amor.*

II.

*Nec quia perpetuo, qui non amat, igne crematur.  
Urit amoriferis ignibus ille timor.*

III.

*Tu Deus es meus unus Amor, meus unus Amator.  
Tartara cum cœlis aufer, amabo tamen.*

IV.

*Nil mihi dando, meos tamen es mercatus amores.  
Non amo quòd sperem; non amo, quòd timeam.*

V.

*Unus amor Deus est, ô Amor unice cordis!  
Ab amo! amando volo vivere, amando mori.*

Amen.



CON-